

DE RUTILO METRI GRAECI NOMINE\*

Inter grammaticorum ueterum fragmenta exstat *rutilum*, uocabulum solum linguae Auruncae notum. Nam apud Diomedem<sup>1</sup> legimus: *Aiunt hunc trochaeum Auruncos rutilum nuncupuisse, nimirum simili ratione qua Graeci a rota inuitati.* Recentes idcirco grammatici Ruteni breuiter de eodem uocabulo disserentes Latinum *rotae* nomen cum Graeco τροχός comparauerunt.<sup>2</sup>

Quamquam nonnulli grammatici conantur<sup>3</sup> *rutilum* ad *rotulum* referre, nos quidem ipsis vix adstipulamur, quia *rotuli* uocabulum Latinum nullo modo difficile est intellectu neque grammaticorum indiget explicationibus. Quod obstat quominus uerbum Auruncorum secundum eam uim quae est ‘rota parua’ apud Diomedem pro glossa habeatur.

Comparationis uero exempla ea sunt qualia *lana*, *rana*, quae cum *lanula*, *ranula* appellantur, Latine figura fit deminuendi: *rota* cum *rotula* comparata eiusdem figurae exemplum est, quod apud grammaticos ueteres persaepe de uerbis deminuendis tractatum est: *sacellum ... a sacro imminutum*, eo sensu qui est ‘locus paruus’ (Gell. VII, 12).

Graecum tamen pedis nomen τροχαῖος longe a diminuendi figura abest: proinde τροχός – τροχαῖος minime cum ‘rota parua’ conferri poterat vixque adducimur ut credamus tam ineptam explicationem a Diomede propositam esse.

Quod ad linguas Italiae antiquae pertinet, haec in mente sunt habenda, saec. I a. Chr. n. linguam Auruncam non Latino rusticano, sed Osco sermoni propinquam fuisse,<sup>4</sup> nec *rotulam* apud rusticos extare potuisse

---

\* RSF 18-18-00503 *Древнейшие стихотворения мира: от шумеров к грекам* [Antiquissima mundi uersificatio: inde a Sumeris ad Graecos]. Grates ago Professoribus G. Di Mariae et C. M. Lucarini Panhormitanis, qui Latinitatem meam hic illuc expoliverunt.

<sup>1</sup> In recensione scilicet Gaisfordiana, v. Gaisford 1837, 430.

<sup>2</sup> Kuznetsov 2006, 330.

<sup>3</sup> Forcellini 1830, 982.

<sup>4</sup> Conway 1897, 283.

quod pro *rota* haberetur, cum *rutilum* metri Graeci nomen ex lingua Oscorum sumptum esset.

Memento etiam Oscos litterarum formas ab Etruscis et a Graecis sumpsisse; in quibus exscribendis atque aptandis Oscae gentes in septentrionem spectantes, sicut Aurunci, litteras Etruscas suo modo commutauerunt, ut pro *O* littera litteram *Y* cum puncto superposito scriberent,<sup>5</sup> tali modo ut tam *V* quam *O* littera per *Y*, sine puncto aut cum puncto superposito, ab Oscis scriberetur. Quae cum ita sese habeant, hodie pro *Y* littera cum puncto in Oscarum inscriptionibus describendis *ú* ponitur.

Ex his efficitur *rutilum* metri Graeci nomen *\*rotilom* vel potius *\*rútilum* Osce scribi; nec praetereundum est Oscos syllaba uocum extrema *o > u* modo Latinorum (audias in *-um* extremitatem accusatiui casus, ubi *u* pro antiqua *o* littera Latinitate aetatis aureae enuntiabatur) numquam esse usos.

Iam natura verbi *\*rútilum* diligentius explicanda. Si particulam deminutiua *-ul-* in hoc uerbo agnoscere conaremur, nesciremus qui *i* exortum esset, nisi scribae aetatis Mediae mendum admittimus. Ad restituendum vocabulum litteris Oscis scriptum, hoc meminisse oportebit metra iisdem fere nominibus apud Latinos Graecosque nuncupari.

Ceterum desunt exempla, quibus particula *-ul-* deminutiua metri nomen faciat. Persaepe *-aeus/-ēus/-īus* inveniuntur particulae suffixae, ut uocabulis: *chorēus*, uel *chorīus*; *trochaeus* uel *trochēus*, nec minus *spondēus*. His nominibus grammatici utuntur cum de bisyllabo pede disserant, nam bisyllabi pedes in fabulis scaenicis ubique inueniuntur.

Constat Oscos fabulam Atellanam agere consueuisse, quae antiquissimum omnium generum theatri Graecorum in Italiam translati putatur.<sup>6</sup> Glossarium e ludis scaenicis Oscorum sumptum apud Varrom exstat. Notum praeterea est apud Oscos Cascum personae senis nomen esse.

Cum probabile sit glossarium scaenicum Oscum non modo personarum, sed etiam metrorum nomina continuisse, quaestio oritur, num formam ac figuram Osca metrorum nomina, sicut Latina, a Graecis uocabulis sumpserint. Quomodo ergo extremitas *-aeus/-ēus/-īus* pronunciatione Oscorum reddebatur?

Exstant inscriptiones Oscae quae extremitatem *-ius* monstrant: nomen quod est Lucius in dandi casu *lúvkiíúí* in Cippo Abellano inscriptum (Ve 1, A 4), necnon in poculo Saticulano Spurius in casu interrogandi (Gell. XIII, 26) *spúriíeís* (Ve 131).<sup>7</sup> Duas praeterea aduertas oportet litterae

<sup>5</sup> Wallace 2008, 98–100.

<sup>6</sup> Adams 2004, 352–358.

<sup>7</sup> Vetter 1953.

*i* formas apud Oscos uiguisse, *i* scilicet et *i*, quarum *i* cum *l* perfacile confundi poterat.

Legamus igitur apud Diomedem pro *rutilo* Oscum \*rútiúm nomen a *rota* (Oscis litteris in ablatiuo casu *rútad*) deriuatum. Itaque pronuntiatio Latina nominis huius metri \*rotūs, \*rotēus uel \*rotaeus esse uidetur.

Ekaterina Novikova  
Institute of Linguistics, RAS;  
Moscow State University  
nouius-poeta@yandex.ru

### Conspectus librorum

- J. N. Adams, “A Passage of Varro, *De Lingua Latina* and an Oscan Fragment of Atellan Farce”, *Mnemosyne* 57: 3 (2004) 352–358.  
 R. S. Conway, *The Italic Dialects* (Cambridge 1897).  
 E. Forcellini, *Totius Latinitatis Lexicon* (Padua 1830).  
 Th. Gaisford, *Scriptores Latini rei metricae* (Oxonii 1837).  
 A. E. Kuznetsov, *Latinskaja metrika [Latin Metrics]* (Tula 2006).  
 E. Vetter, *Handbuch der italischen Dialekte* (Heidelberg 1953).  
 R. Wallace, “Sabellian Languages”, in: R. D. Woodard (ed.), *The Ancient Languages of Europe* (Cambridge 2008) 98–100.

The paper deals with the interpretation of the gloss *rutilus* (an alternative name for a trochee), which was attributed to the language of the Aurunci by Diomedes. The Auruncan language, according to the standard view, is a North-Oscan dialect that used a version of the Etruscan alphabet. In this alphabet, *Y* with a point at the top corresponds to the letter *O*, while a simple *Y* corresponds to the letter *V*. The gloss could be thus read as \*rotilom. The next problem is the suffix *-il-*, which E. Forcellini treated as equivalent to the diminutive suffix *-ul-* (*rotulus*). This paper argues that what lies behind *-il-* is instead Oscan *-ii-*.

В статье содержится интерпретация гlossen ‘rutilus’ (другое название для трохея), которую Диомед относит к языку аврунков. Аврунский язык, как сообщает Р. Конвей, является одним из северооскских диалектов, для которых существовал особый вариант этрусского алфавита. В этом варианте буква О передавалась через Y с диакритическим знаком в виде точки наверху, а буква V – через простую Y. Таким образом, rutilus может быть прочитано как \*rotilom. Далее в статье дается интерпретация суффикса -il-, в котором Э. Форчеллини предлагал видеть уменьшительный суффикс -ul- (rotulus). В статье приводятся доказательства в пользу того, что за -il- стоит неверно прочитанное оскское буквосочетание -ii-.

## CONSPECTUS

VIKTORIA T. MUSBAKHOVA	
A Scythian Ares (Aesch. <i>Ch.</i> 161–162)? .....	181
CARLO M. LUCARINI, MARIA SCERMINO	
Il ruolo di Posidonio e della dossografia per la datazione del <i>Περὶ κόσμου</i> e i rapporti di quest’ultimo con l’ <i>Elogium geographiae</i> . I .....	198
AUDRONĖ KUČINSKIENĖ	
Play on the Meaning of Name in Cicero’s <i>Verrines</i> : Some Remarks on <i>Div. Caec.</i> 48–50 .....	229
WJATSCHESLAW K. CHRUSTALJOW	
<i>Sic est (non) iusta causa belli?</i> Issues of Law and Justice in the Debate Concerning a Roman Annexation of Egypt in 65 BC .....	244
SOFIA EGOROVA	
<i>Novisque rebus infidelis Allobrox</i> (Hor. <i>Epod.</i> 16. 6) .....	265
DENIS KEYER	
The Train of Thought in Horace, <i>Epist.</i> 2. 2. 213–216 .....	274
EPIGRAPHICA	
NADEZHDA NOVOSELOVA, ANNA NAMOYLIK	
A Chalcedonic Die of Astynomos Ἡράκλειος from Tauric Chersonesus .....	289
NATALIA PAVLICHENKO, NIKOLAJ FEDOSEEV	
A New Inscription of Herakas, Son of Pontikos, ἀρχερμηνεὺς Ἀλανῶν .....	315
COMMENTARII BREVIORES	
S. DOUGLAS OLSON	
Some Late 4 <sup>th</sup> -century Comic Fragments (Antiph. fr. 288 = Timocl. fr. 41 = adesp. tr. fr. 123a; Antiph. fr. 167; adesp. com. fr. 149) and Eratosthenes of Cyrene on Demosthenes .....	339
EKATERINA NOVIKOVA	
De <i>rutilo</i> metri Graeci nomine .....	343
Keywords .....	346

Статьи сопровождаются резюме на русском и английском языке

Summary in Russian and English